



HVldricus ille filius fuit pistoris ex oppido Sueviæ Vuangen oriundus. Is singulari ani-
mi industria, naturali prudentia, ac mira in rebus
agendis dexteritate erat præditus. Itaq; à parenti-
bus ad monasteriū S. Galli missus, ut ibi inter Mo-
nachos sibi nomen aliquod compararet. Verùm
eo tempore schola illa antiquitus celeberrima (si-
cut & in alijs monasterijs) ferè conciderat, atq; lite
rarum studia tantum apud Vniuersitates & Acade-
mias florebant. Nam Monachi & sacerdotum col-
legia potissimum tum curare ceperant, qua ratio-
ne ditescerent atq; redditus suos augerent. Itaque
optimi quicq; authores turribus & Bibliothecis in-
clusi cum pulueribus & tinneis concertabant, atq; in eorum locum libri ratio-
num, sanctorum legendæ, & anales fabulæ, cum inutilibus quæstionibus suc-
cesserant. Quod si enim hic Vlricus in superiora tempora incidisset, proculdu-
bio ob ingenij acrimoniam in virū doctissimum euasisset. Is ergo animum ad
huius Monasterij opes & potentiam augendam appulit. Nam Casparo abba-
te adhuc uiuente rerum ciuilium procuratio ei commissa fuit, anno 1458. Ut au-
tem commodius ubiq; suum ius persequeretur, pagos aliquot Heluetiorū ni-
mirum Tigurinos, Lucernanos, Suiteros, & Glareanos oravit, ut se com-
datum haberent, atq; in suam tutelam reciperent, quo Monasterij prouentus,
qui attenuati essent, passim recipere posset. Id quod ipsi petenti promiserunt.